

sunt, in proprium cum districtis placitis cunctisque publicis functionibus et redditionibus * supra nominate ecclesie eiusque episcopis datum in perpetuum et traditum nostra imperiali auctoritate approbamus^a et huic fideli nostro Alberto Tridentine ecclesie episcopo eiusque successoribus predictam donationem confirmamus, exceptis his rebus, que ecclesie Feltrensi infra suos terminos — id est ab aqua que dicitur Sisimunth usque in finem episcopatus ipsius, sicut aqua predicta decurrit ex parte episcopii — á predecessoribus nostris collate sunt. Cetera vero cuncta, sicut superius dictum est, in sancte supra scripte Tridentine ecclesie et prenominati venerabilis episcopi Alberti suorumque successorum proprium ius et dominium modis omnibus transfundimus atque confirmamus statuantes et nostro imperiali edicto precipientes, ut nullus dux marchio comes vicecomes gastaldio nec aliqua imperii nostri persona magna vel parva supra dictum episcopum vel eius successores inquietare molestare vel in aliquo gravare presumat. Si quis autem huius nostri imperialis precepti temerarius violator exstiterit, sciat se compositurum mille libras auri obrizi, medietatem camere nostre et medietatem episcopo supra nominate ecclesie.

§ Signum domini Frederici Romanorum imperatoris invictissimi. § (M.)

Ego Vlricus cancellarius vice Reinaldi Coloniensis archiepiscopi et Ytalie archicancellarii recognovi. (SI.)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCLXI, indictione VIII, regnante domino Frederico Romanorum imperatore victoriosissimo, anno regni eius X, imperii vero VIII; feliciter amen.

a) Das erste 'p' scheint nachträglich eingeschoben zu sein und ist mit dem eigentlich zu dem zweiten 'p' gehörenden Bogen, der die Abkürzung für 'pro' ausdrückt versehen.
